



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607

Sancta Apollinaris, Syncletica seu patricia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

vicinam ingressa filuam omnes humanas curas abiecit. Iamque longo tempore in illa graui & paludosa vligine versata, sancto corpusculo à palustribus admorso culicibus testudinis corium referebat. Hinc (virili

4. cultu sumto) 4. Dorothei nomine adscito.
5. 5. Scetanam solitudinem sanctis frequenta-
6. tam patribus adiit, seseq; pro. 6. Eunuch

*Vestes has
iam ante
clam para
uerat, &
habet Me-
saphraustes*

gessit, cui suspiciendus ille Macarius domicilium adsignauit, in quo Dorotheus diu noctuque precibus vacauit.

Habebat Anthemius, Apollinaris parens, alteram quoq; filiam ab impuro in seffam spiritu, quam ad sanctos viros curandam in Scetam misit, nam de Apollinari reperienda iam omnem spem abiecerat.

** Ita monachos appellabant, latiore quadam & surpatione.*

Patres hanc ad Dorotheum * abbatem adducunt, quæ à sorore Apollinari, Dorotheo nempe, intra paucos dies ab infessore dæmone est liberata, atque à patribus ad parentes salua remissa. Cui domi, cum post aliquot dies vterus fætu intumesceret, pater. 7. suspicatus eam à Dorotheo deuirginatam, expeditos mittit cursores qui Dorotheum sibi sistant. Sed beata illa coram, parenti per nota quædam signa, quæ sit, aperit, omnesq; in summam adductos admirationem, propè attonitos reddit, præsertim cum intelligerent sororem per eam à malo spiritu

spiritu curatam. Paucos inde dies apud parentes cōmorata, atq; ad solitudinē reuerſa, neminem vnquam habuit conſcium arcanorum. Vnde factū, vt, cum defunctæ corpus, fœmina appareret, omnes præ admiratione in ſtuporē dati, in laudes Dei, gratiarumq; actiones certatim prouocati erumperent.

ANNOTATIONES.

A Pollinaris huius meminere plures: Metaphraſtes, Molanus, Maryrologium Romanū, Baronius 5. Ianuarij, in Menæis infra 4. Ian. eiusdem vita, ijsdem verbis ex Metaphraſte ſummatim delibata repetitur. 1.

Syncletica fortè ab Anthemij patris dignitate ſenatoria & patricia dicta eſt. Quamquam hoc vero nomine aliæ ſacræ virgines legantur. Scripſit S. Athanaſius, Nicephoro Callixto teſtante, vitam Syncleticæ ſenioris, cuius ſumma hoc ipſo menſe & die in Menæis refertur. Multa extant eius documenta in vitis & institutionibus Patrum. Eiusdem mentio eſt in Menologio Græcorum 4. Ian. Martyrol. Rom. & Baronio 5. Ian. Molano & Vſuardo. 2.
Lib. 3. c. 4.
Aliam laudat Syncleticam, vel Syndeticam, vt habet vulgaris editio, Sedulius in Epiftola ad Macedonium Abbatem.

Variant ſcriptorum ſententiæ de hoc Anthemio, quem Metaphraſtes Imperatorem Occidentis à Leone Magno creatum affirmat. 3.

* Alij maiorem Anthemium Anthemij Imperatoris auum exiſtimant, qui tamē conſularis, præfectus vrbi, & pro Imperatore fuit, cum defuncto Arcadio, pro Theodoſio iuniore pupillo, magna * Baroni-
us Marty-
rol.
5. Ian.

cum fide & laude imperium administravit. Consulatum gessit cum Stilicone secundum consule, anno Christi CDV. cuius laudes & acta recitat ex D. Chrysofomo & Theodoro * Baronius, qui illum Anthemij Imperatoris * avum nominat, Sidonius Apollinaris hunc Anthemium in Panegyrico Anthemij Imperatoris, Socerum Procopij patris hoc carmine laudat:

5.^a Anna-
li.

6.^a Anna-
li.

*Hunc socer Anthemius praefectus, consul & idem
Iudicis populos, atq; annum nomine rexit.*

Fuit ergo Philippi Praefecti Constantinopolitani illius, qui S. Paulum Patriarcham Constantinopolitanum interfecit, nepos, Procopij socer, Anthemij Imperatoris avus maternus, vir insigni pietate, aequitate, modestia, dignus omnino tali filia pater, & tali patre filia, indignus tam immani avo, de quo Socrates * Eccles. hist. Theodoretus hist. patrum. * D. Chrysofomus Epist. Cucuso missis. Niceph. lib. 14. c. 1. l. II c. 1. Tripart. hist. Fuit & Praefectus praetorio, ut ex Constit. Arcadij Honorij, Theodosij constat. Extat eius cum Aphraate sanctissimo A nachoreta, cum ex Persica legatione rediret, colloquium.

* l. 7. c. 1.

* c. 8.

4.
* Metaphr
* Deut. 22.

Dorothei nomen sibi adsciuit, sacro monachorum * cultu latendi causa sumto. * Quamquam enim sacrae literae & literarum sacrarum interpretes Tertullianus, Cyprianus, & alij hos secuti, rem Deo inuisam & abominandam tradant, si vir faeminam, aut faemina virum simulet, exponunt tamen legem sacri & politici scriptores, licere pro certoq; sine nonnunquam vestem & nomina permutare, cum id periculum innoxiae vitae, vel pudoris, vel etiam honesta piaq; causa permittunt vel exigunt. Quod usque adeo certum est, uti multae cum virgines, tum matronae miris clarae factis & operi-

operibus, in Diuorum censum venerint, quales memorantur Eugenia, quæ se Eugenium dixit, cuius laudes omnia Martyrologia cum Alcimo Auito, Fortunato, Altelmo, Metaphraste prædicant: Euphrosina Smaragdus nõ vano nomine appellata, Pelagia seu Pelagius, Theodora Alexandrina, Antonina, Athanasia, Susanna, 15. Decemb. * Marina, Anastasia patricia, Anna, Matrona, Anonyma quoq; illa à Sophronio in prato spirituali laudata C. 170. Et Glaphyra virgo Constantiæ Augustæ Constantini M. Sororis Licinij coniugis pedisequa. Baron. Annal. 3. A. Chr. 316. Iachelina virgo illustris, & soror comitis Apuliæ. Specul. magn. exëpl. p. 326. Hildegundis quæ se Iosephum nominauit, cuius acta quamuis à Cæsario referantur, libet tamẽ certiora ex Ms. codice, quem à M. Velfero II. viro amplissimo accepi, per capita breuiter enumerare. Auctor enim vitæ virginis *εὐ-
ζγοῦ*, eodẽ cum virgine loco, tẽpore, cænobio vixit, vt ipse in præfatione his verbis testatur: *His &
huiuscemodi rationũ stimulis cum me recalcitrantem
& renitentẽ, frustra licet, adhuc reluctari cernerent,
oppositione talis argumenti me vicerunt, inferendo, q̃
nemo dignius ac plenius vitam beata Virginis stilo
mandare potuisset, quam is qui eam non aliunde, sed
ex ipsius ore Virginis didicisset, cum ea commorando,
conuiuendo, conuersando, positus in domo nouitiorũ.
nouitius & ipse nouiter conuersus, in loco, qui dicitur
Schonaugia. Infra, se magistrum postea illi præfe-
ctum fuisse scribit. Vbi domus est ordinis Cisterciensis
famosissima & religiosissima, &c. Et mox infra:
Obsecro igitur legentes, vt fidem dictis adhibeant, nec
me credant aliquid amore vel favore Virginis inferre,
quod ab ea non acceperim, quod ab ea non didicerim.*

* 10. Martij, infra.

quam falsa iactanter & inconsultè pueris intulisse.
 Hæc in præfatione auctor, qui suum ibi nomen non expressit, & verò prima pagina deest, Et XIII. Illud fortè cuiquam occurrat, cum virgo ante obitum quæ esset, nemini aperuisset, quomodo scriptor dicat, se ab ea omnia accepisse, didicisseque? facilis huic nodo cuneus: omnia præterita quæ illi euenerant, æque in virum atque fœminam cadunt, vt proinde non fuerit necesse fateri sexum. Sed referamus acta *συντάξις τῆς συλλήψεως*, quæ prolixè ab auctore sunt perscripta.

Ad quintum infra coloniam lapidem Nouesij oppido, quod Cæsarius Nussiam appellat, claris ortam ferunt natalibus, cuius parentes diu sine spe prolis, assiduas Deo sternebant preces, tandem gemellas vno partu susceperunt; quas studiosè in sacrarum virginum cœnobio Nouesiano curarunt educandas. Pater concepto voto, crucisq; signo accepto Hierosolymam cogitabat. Mater correpta morbo diem suum religiosè admodum obijt. Vnde desperata potitus libertate pater iter adornauit, alteramque ex filiabus itineris sociam cupiebat. (Hagne Deo penitus dedicatâ.) Hildegundis hæc erat, sed obstabat sexus, quem pater vt extra periculum esset, consilio regendum putauit. Filiam ergo in virum attonsam, virili veste induit, Iosepho nomen indit, viæ comitem adsciscit, nauem conscendit, & aliquandiu secundis auris prouectus, postea morbo tentatur, quem vt fatalem sensit, accersito seruo itineris subsidia tradit, & filiam (quæ feruus adolescentulum putauit.) vnicè commendat, domumque post adita Hierosolyma reducendam committit, ipse vita decedit. * Famulus Iosephum Hierosolymâ deducit. In reditu ad * Achæonensem portû pupillam, perditissimum mancipiû
 contra

* Cæsarius
 patrem in
 reditu, Ty
 vi mortuû
 scribit.

* Mendosa
 hic opinor
 scriptura,
 nisi legas
 Acconem
 vel Achæonem.

contra datam fidem & Sacramentum omnibus
 spoliata bonis intempeſta nocte deſtituit. Iose-
 phus cum ducem itineris mane circumſpiceret,
 fruſtraque diu requireret, infelix pupilla, vtroque
 orbata parente, à perfido verna prodita, ingenti
 percuffa dolore, quo ſe verteret non habebat. Sed
 Numinis orphanorum patris prouidentiâ, præter
 omnem expectationem adefſt, qui illam, ratus eſſe
 adoleſcentulum, inter ſuos receptam Hieroſoly-
 mam reducit, ibique in * Templariorum eade col- * *Ordofuit*
 locat, vbi annum verſata, ſancta que loca ſæpius *Hieroſoly-*
 venerata, incidit in peregrinum quendam popu- *mis, de quo*
 larem & propinquum, qui hieroſolymis de ſuo *D. Antoni*
 cognato diligenter inquiſiuit. Deductus ad Iose- *nus part. 2.*
 phum de ſtatu conſanguinei cognoscit, filiam, qua- *tit. 15. cap.*
 ſe filium illius quem quaereret affirmabat, in co- *20. Sin no*
 mitatum receptam, in patriam reducit. Antequam *tis ad idem*
 Coloniam attingeret, datâ puellæ Iosepho pecu- *caput Et*
 niâ, extinguitur. Ita virguncula inter vtramque *tit. 17. c. 1.*
 fortunam iactata lætabatur ſe patrium ſolum aſpi- *§. 3. habitū*
 cere, dolebat de propinqui, à quo tanta fide per *ſpectabis*
 terras & maria eſſet reducta, fato. Coloniam in- *apud Iodo-*
 greſſa, reſectis ex itinere viribus, Dei ductu ad eu- *cū Amma-*
 uſdâ Canonici amplas ædes deſertur, hoſpitioq; *num, cum*
 peregrini adoleſcentis nomine ſuſcepta, cum poſt *Franciſci*
 dies aliquot abitum pararet, rogatur à Canonico *Modii Octo*
 maneret, ſi hoſpitium non eſſet moleſtum: per- *ſtichis.*
 ſuadetur. Erant Canonico controuerſiæ cum Phi-
 lippo Archiepiſcopo Coloniensî propter ſororem
 antiſtitam cœnobij cuiusdam, & neptem Archie-
 piſcopi, quam præficere præ altera conabatur
 virginibus præſul. Erat præterea de Treuirorum
 pontificatu certamen, VVolmarus, an Rudol-
 phus Archiepiſcopatum teneret. Ad ſummum
 pontificem à VVolmaro appellatum fuit. Cano-

nicus Colonienſis ſimul ſuam controuerſiam apud ſummum pontificem expediturus periculofam legationem & occultam ſuſcipit. Nam Fridericus Imperator, qui cum paucis pro Rudolpho ſtabat, omnia itinera obſederat, ne literæ per nuncios Romanam mitterentur. Canonicus Iosephum quamuis reluctantem, ob linguarum peritiam, itineris comitem ſibi adiunxit. literas ſcipione incluſas geſtat. Primumque Moguntiacum, mox in Auguſtanæ ditionis oppidum Zuſmarhuſium, quod inter Auguſtam & Dilingam eſt, venit. Imperatoriam enim urbem Auguſtam Vindelicorum, ubi multi ex aula Imperatoris Palatini agebant, quod literis metueret, ſtudio declinarat. Hanc tamen relictis Iosepho literis, & ſcipione, uti ſe pedes mox ſequeretur, expeditus equo tranſit. Sed Iosephus dum vicinum nemus intrat, in furem, quaſi viatorem, delabatur, quem ſpoliati, priori nocte, incolæ Zuſmarhuſiani perſecuti veſtigabant, quos fur eminus ſentiens, ſaccum in quem furta coniecerat, Iosepho quaſi mox rediturus ſervandum tradit, ipſe inter dumeta proſpectans euentum rei expectat. Oppidani aduolant, Iosephum ſacco inſidentem comprehendunt, cædunt, reumque furti peragunt, negantem & reclamantem etiam contumelias onerant, & vi in forum pertrahunt, capitique ſententiam in inſontem perinde ac furem pronunciant. Iosephus cum videret ſibi extremum imminere exitium, rogat ſacerdotem, cui noxias ſuas aperiât, ſacramque ſynaxim innocentiam vltimum aſylum percipiat. Sacerdos Iosephi innocentia, & furis nequitia cognita, perſuadet popularibus ſontem, inquireret, adoleſcentem enim omni culpa videri vacare, Repertum* ad Iosephum adducunt, utrumque coram certantes audiunt. Iosephus

* in ſilua.

Iosephus eum ipsum esse, à quo saccum ignorans accepisset, pernegare alter. Cum longa altercatione nihil proficeretur, neque; vter reus esset sciri posset, sacerdos iudicium* ferri candentis proponit, quod * *De hoc*
 innoxii tractat manibus Iosephus, vritur alter, & genere de-
 suspenditur. Propinqui furis, indignati, Iosephum *ensionis*
 abeuntem per insidias in saltu excipiunt, atque in *tum & sita-*
 eadem arbore neclunt, in quam actus erat reus. *ti, fuscè ds-*
 Hic Deus innocentiae testis & patronus virgini suc- *sputat no-*
 currit, caelitemque mittit, à quo, ne pendens eli- *ster Delri*
 deret fauces, gulamue frangeret, sustentaretur. *Disquis.*
 Quin & diuinam quadam harmoniam pendentem *Mag. l. 4. c.*
 mulcet, quod cum miraretur Iosephus, rogaretque; *4. q. 4. sect.*
 qui essent; respondit, tutelaris spiritus, se beatos *3. vbi varia*
 esse caelites, in auxilium ei missos, Symphoniam *adducun-*
 verò illam in sororis Hagnes (quae modo in No- *tur exem-*
 uesiano Virginum coenobio ad caelum defuncta *pla.*
 abiret) gratiam institutam, vt ita inter beatarum
 mentium gratulationes cum triumpho templa ca-
 li ingrederetur. Permouit interim Deus vicinos
 opiliones, qui ibi pascebant, vt suspensam à furca
 detraherent. Detractam dum soluere cogitant, lu-
 porum subita incursione, qui in armenta grassa-
 bantur, auersi iacentem & ligatam relinquunt.
 Sed diuinitus soluta surgit, & ab angelo custode
 in candidissimum equum imposita Veronam, quo
 herus eius iam peruenerat, deportatur. Accipitur
 à Canonico ingenti gaudio, à quo iam de eius ad-
 uentu desperatum erat, miratur eius casum, & di-
 scrimen miseratur, salutemque gratulatur, ac se-
 cum Romam adducit, confectisque negotiis in
 Germaniam ad Nemetes, vbi praesidem iudicii &
 controuersiae Episcopum quaerebat. Sed cum Spi-
 rae non esset, Canonicus Iosepho potestatem fecit,
 aut Coloniam redeundi, aut Spirae suum aduentum

prætolandi, ad Episcopum enim properabat. Iosephus cuiusdam religiosæ Virginis Mechildis domum ingressus hospitio accipitur, & ad scholas publicas, cum liberalis appareret indolis, mittitur. Nec multo post à Bertholdo, qui paulo ante ex milite monachus erat factus, Schonauiam deducitur, vbi in album tironum cœnobii adscriptus, in religiosum ac monachum tondetur, nemini quippe sexus arcanum prodidit. Hic omnia generosi tironis Christi officia magno & virili animo explebat, cantabat, studebat, laborabat. Quamquam literis leuiter tincta, commissa est vni ex religiosis doctiori, qui vitam ipsius postea aliorum rogatu conscripsit. Biennium ita prope totum exegit, omnibusque singularia pudoris, & modestiæ, virtutumque omnium documenta suo exemplo dedit. Nec vllum virginitatis periculum unquam adiit, quod Deus eam ex ea parte oppugnari forte non permiserit, cum se thesaurumque suum totum Deo consecrasset. Ab alia parte tamen circa finem secundi anni vsque adeo graues hostis tartarei insultus est passa, vt omnino de deserendo cœnobio, & abicienda religiosa veste decerneret. Et iam tertio ad portam descenderat, vbi monachum exueret, & erumperet, cum subito, diuinitus opinor, magno intestinorum dolore afflicta, magnam etiam vim sanguinis profudit, qua re adeo fracta est, vt ad lectulum relata indies magis ac magis deficeret. Vltima tandem Cinerum dierum hebdomade, ad vltima peruenit. Accersito ergo magistro suo statum vitæ vltimum exponit, à quo de peccatis omnibus per confessionem expiandis grauiter admonetur: paratam se respondit esse ad omnia: rogata à sacerdote inter alia, vt solet, an nunquam consueisset cum foeminâ: nec cum foeminâ, inquit, nec
cum

cum viro: vnde illius constitit integritas, mirabatur tamen ille qui confitentem audiebat, hoc ipsius responsum. Sed quorsum tenderet, post mortem intellexit. In morbo, qui ægris assistebat Monachus, cum iacentem & languentem leuaret, gestaretque prout vsus est, sensit se (tanta est naturæ vis & cognatio etiam in ignaris.) nonnunquam prauis cogitationibus atque desiderijs commoueri: vnde & vexatus aliquando motu prauo: aut hic, inquit Monachus, est diabolus aut fœmina. Sed illa omnibus munita sacris XII. Calendas Maias, anno Christi M. CLXXXVIII. feria quarta Paschæ beatam Deo animam, vitamq; auctori vitæ edidit reddiditq;. A morte, cum virgineum illius corpusculum, vt mos fert, secundum pectus lauaretur, ex fascia pectorali, qua tumorem vberum coercuerat, notatur fœmina. Res Cænobiarchæ propter significatur, qui commisso quatuor senioribus monasterij patribus negotio, mandauit, viderent, vera ne essent, quæ de Iosepho dicerentur, referunt, certo esse fœminam. Concurritur vndique, ploratur, Deoq; simul gratiæ aguntur, qui talem gemmulam ac thesaurum religiosi Schonauix quasi custodiendum credere voluerit, quem ipsi tamen ante Virginis mortem apud se latere nesciissent. Cum omnium stupore, gaudioq; confuso lacrymis, honesto tumulo commendatur, ac nomen eius ex Nouesiano Virginû cœnobio discunt Hildegundem appellatam, extat apud Cæsarium tam simplex quam verum hoc eius Epitaphium:

*Omnis homo miretur, homo quid fecerit iste,
Hæc cuius fossâ cineres inclusit & ossa.
Mas viuens paret, moriens (sed fœmina claret.
Vita fefellit, morsq; refellit rem simulatam
Hildegunt dicta, Vita est in codice scripta
Maii bis senis hæc est defuncta Calendis.*

Hoc Cæsarius refert

See.

5. Scetana eremus seu Scetina, siue Scithiaca à σκήτη seu σκίτις siue σκίθις dicta magnâ sanctorum patrum frequentia nobilitata, Aegypti saltus est circa Maream lacum. Socrates lib. 4. c. 18. Callistus lib. 8.

6. Pro eunucho se gessit, vt esset extra sexus suspicionem. Hinc opinor, S. Saba, fortè * nonnunquâ * in eius vita, alia re-
 * Quâquâ in eius vita, alia re-
 feratur

deceptus decreuit, vti nullus in cœnobium suum nisi barbatus admitteretur.
 Poterat & tribus illis Atheniensium virginibus ignosci, quæ studio sapientiæ, incensæ mutarunt vestes, vt publicè docentem in Academia possent audire Platonem.

Poterat & Spartanis coniugibus, quæ viros suos è custodia beneficio mutatæ vestis eripuerunt, vadesq; interim ipsæ in carcere virili tectæ veste latuerunt. Val. Max: lib. 4. c. 6.

Quod & D. Basiliius affirmat Sed non ferendæ, quæ non optimo fine, militari habitu castra sequuntur, vti nuper Margarita quædam, Danielis nomen e mentita, septem stipendia fecit, vxorem duxit ipsa vxor, ac tandem vir sceminam, cum se hermaphroditum finxisset, edidit, & quæ alia designauit, literis patriâ linguâ commendata leguntur.

7. Idem crimen Marinæ, quæ Marinum se nuncuparat, impactum, vt in historia eius leges, nec raro in alijs sanctorum gestis id genus criminationis sanctis obiectum, plura infra.

7. Sept.
 Eadem historia narratur 7. 1. 6
 pag. 174.

SYNTAXIS S. IOANNIS BAPTISTAE ET DEXTRÆ illius translatio.

Posti-